BENEDICTUS PP. XIII.

Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem, et Apostolicam Benedictionem. Ad augendam fidelium Religionem, et Animarum salutem, caelestibus Ecclesiae thesauris pia
charitate intenti: Omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere paenitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis, qui Ecclesiam Capellam Sanctissimae Annunciatae
Oppidi seu Loci [illegible] nuncupatam [illegible] Dioecesis, non tamen Regularium, cuius Ecclesiae cuiusque cappellis et Altaribus, sive omnibus, sive singulis, itaque [illegible], vel ea aut
illarum seu illorum aliquas, vel aliqua ad visitandum, nulla alia Indulgentia reperitur concessa, Die festo Annunciationis Beatae Mariae Virginis Immaculatae a primis vesperis usque ad
occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces
effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper iisdem Christifidelibus vere quoque paenitentibus et con-
fessis, ac sacra Communione refectis, qui praefatam Ecclesiam Die festo Transfigurationis Domini Nostri Jesu Christi ut supra visitaverint et ibidem oraverint septem annos, et totidem
quadragenas de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis paenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus ad decennium tantum valituris. Volumus autem, ut si
aliis Christifidelibus in quocumque alio Anni die dictam Ecclesiam seu cappellam aut Altare in ea situm visitantibus aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elap-
sum duratura concessa fuerit, vel si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nulla
sint. Datum Beneventi sub Annulo Piscatoris die XV Maii MDCCXXIX Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Gratis pro Deo, et Scriptura

F. Card. Oliverius